



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Geroldus M. 7. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

7.Octob. VITÆ SANCTORUM. 629  
prædem cessere majora sedecim supra  
centum minora verò ducenta , quinqua-  
ginta & sex. Atque hoc est , quod Opt.  
Pont. de victoriâ divinitus edoctus  
triumphum *Virginis* decrevit , quotannis  
iterandum , quodque non pauci è victore  
exercitu hostilia spolia ex voto ad Aram  
Lauretanam suspenderint. Fatalo nimi-  
rum Lunæ est ad *Virginis* pedes abji-  
ci. Ex Io. Gab. in vitâ Pii. V. & Pet.  
Spin.

Oportet inter fluctus seculi confugere ad  
Mariam , & respectu exempli ejus cursum  
vitæ dirigere : quod qui fecerit , non jacta-  
bitur vanæ gloriae vento , nec frangetur  
scopolis adversorum , nec absorbebitur vo-  
ragine voluptatum , sed prosperè ad æternæ  
quietis portum veniet. S. Epiph. in Panar.

S. GEROLDUS M. 7. Octobris.

**G**E R O L D U S à puero pietatem du-  
cem secutus facile ad ipsa adyta vir-  
tutis penetravit , multas tamen idem  
pro castitate pugnas pugnavit , vincendus ,  
nisi aliis armis , quam nunc amat adole-  
centia , usus fuisset. Nimirum hodie na-  
tivâ in galeâ suâ tam molliter crista-  
frons ictus Cupidinis eludet ? in tho-  
race tam vulnerato non minus lacer  
animus tela improba repellit ? tot vin-  
cula etsi serica , vincula tamen , fugam  
in hâc luctâ tam laudatam promove-

Rr 3 bunt

630 VITÆ SANCTORUM. 7. Octob.  
bunt scilicet? Aliter GEROLDUS no-  
ster pugnavit. Ille fame hostem obside-  
re, ille animum precibus, pectus cilicio,  
manum flagello obarmare, toties vi-  
ctor, quoties cæsus, & aversis vulneri-  
bus nobilior, quam adversus Romanus:  
quæ ille tunc potissimum non horruit,  
cum inter pias commentationes cæsum  
Ducem oculos Christum posuit. Has  
victorias cum per Hispanias & Italias  
circumtulisset, jamque Palestinam etiam  
meditaretur, militem suum superi ad  
triumphum evocarunt. Etenim cum pa-  
gum Cremonæ vicinum transiret, la-  
trones duo, quò in insidias pertraherent  
*Geroldum*, litem ex composito adsimu-  
larunt. Hic nempe, quò digladiantes  
dirimeret, illico accurrit. At illi jam  
dudum in mortem innocentis amici ca-  
duceatorem suum multis plagiis conse-  
cerunt, interque silvas abdiderunt. Sed  
excivit urbem urbisque Pontificem as-  
campanum suâ sponte sonans, &c ut Mar-  
tyr facilius reperiretur, prodigiosa lumi-  
na cælum accendit. *Ex Ferrar.*

*Mentem tuam supernæ patriæ amor ac-  
cendat, præmia mansura sollicitent;* O  
*ad venturi Iudicis promissiones semper  
aspiret, atque ex temporalibus æternam mer-  
cedem. S. Gregor. Regist. l. 7. c. 14.*

S. OSI-